

utriusque manus parte, tum ex eo pedum loco, unde sanguis educitur; ac triduo post è mento & nasi extremitatibus, quod 14. diebus duravit.

Testatur autem D. Saporitius tot sanguinis erogationibus nequaquam factum esse, ut ægrotans puella multò languidior redderetur; paruisse autem in manu tantum sinistra leve quoddam veluti morsus vulnus, cuius tamen ne vestigium quidem deprehendebatur in pectore, sive aliis in locis, unde sanguis effluerat; nihilque doloris in ea sanguinis erogatione sentiebat, nisi cum ex intima manus parte disfluere. Post decem dies, sanguinem multò pallidior, quàm soleret, animadvertit Medicus, & acrior in puellâ manus dolor; quo indicio egresso sanguinis ex eo loco designata. Nec mora, effluxit veluti sudor sanguineus, disfluens tanquam ex alio inflicto vulnere, cuius tamen nullum vestigium supererat in cute post emundationem; momento post sanguis è vicino poro disfluit,

tum ex altero etiam poro; ac postus ad languentis sinum panniculus sanguine itidem infectus est. Hæc oculatum testem spectasse se tradit D. Saporitius; aliorum autem relatione tenuisse scribit, triduo post sanguinem in formas crucis, spinæ coronæ, aliorumque mysteriorum Passionis Jesu Christi profuisse; facillè, ait, quoddam fluens sanguis casu varias figuras, utcumque Passionis similes, referret, unde ea credulis persuasio inducta.

Post hæc exempla neminem futurum arbitror, qui sanguineum sudorem naturaliter possibilem negans, rem totam in Christo divino prodigio deputet. Testor autem non invitus, hæc omnia debere me D. *Alliot de Mussey*, Medicinæ Doctori in facultate Parisiensi, itemque medicinam profitenti, qui observationes suas mecum, qua est humanitate, communicavit, eo officiorum additamento ut muneris pretium magnopere ex eo augetur, quod mihi sua proferenda tribuerit.

DISSERTATIO

DE OBSIDENTIBUS, ET POSSIDENTIBUS corpora Dæmonibus.

Veteres Christianæ Religionis adversarii, prodigiorum Jesu Christi, Apostolorum, & primorum Christianorum evidentiam convicti, cum veritatem in dubium revocare nec audent nec valent, vim eludere tentarunt, contententes, rem totam tribuendam magicæ cuidam operationi, sive Dæmonum Principi, sive arcanorum quorundam verborum vel naturalium rerum virtuti. Opponebant alii Jesu Christi & Apostolorum prodigiis prodigia Numinum, Magorum, & Heroum apud Paganos. Pellere Dæmones in nomine Beelzebub Jesum Christum contendebant Judæi; Paganis vero collatas à Jesu Christo ægrotis sanitates conferebant cum vulgatis Æculapii; sicut & prodigia Apollonii Thyanaei pari habebant gradu cum prodigiis Apostolorum. Nostrâ ætate ingenia, quæ cæteris superiora se jactant, Philosophi utuntur, ut prodigiorum, de quibus Sacra Scriptura, vim totam eludant. Sunt enim arcana quædam naturæ, simplicium vires quædam occultæ, est mira quædam vis phantasiæ, sunt præpostere inducta infantia & educationis præjudicia, sunt cæcæ regula motuum, sunt hyperbolica quædam loquendi formula in Scriptura, quibus omnibus totam vim prodigii viri illi deputant, contententes omnia ad naturales regulas referri optime posse.

Nos hic ea tantum revocabimus in exam-

men, quæ de Dæmoniacis feruntur. 1. An fieri possit, ut Dæmones corporibus insideant. 2. An insideant reipsâ. Afferenda ducimus primò quæcumque in contrarium validiora opposita sunt argumenta; dein congruâ illa responsione diluimus, ad veram sententiam firmantes, quæ argumentis ex Scriptura, quæ è ratione deductis, Cum autem res nobis sit cum Philosophis, Patrum autoritatem Patrum morabimur; tunc tantum illam attulisse contenti, cum adductis à Patribus illis rationibus roborabitur.

ARTICULUS I.

Rationes negantes reipsâ dari Dæmoniacos.

Quos vocamus Dæmones, naturæ sunt merè spirituales, quibus nulla proxima in corpora actio responderet. Sunt ergo impossibiles Dæmoniaci. Nihil enim aliud eo nomine intelligimus, quàm Dæmones proximè & naturaliter in hominum corpora agentes. Si quis autem reipsâ possibilem contendat, saltem ad prodigium confugere necesse est; repugnant enim exploratis naturæ legibus. Nulla autem congrua ratio succurrit, cur Deus hanc Dæmoni potestatem indulgeat; videretur enim alioqui uno agere consilio cum isto quæ gloria suæ, quæ humani generis adversario; scandalo propterea esset pusillus, plus nimis

exag-

exaggerans de potestate Dæmonis, ideam; Dæmonis, inquam, interdum ludibrio habentis vim exorcismorum, & quidquid in religione est maximè sacrum: tandem nullâ necessitate prodigiorum numerus multiplicaretur. Prodigium esset enim quoddam homo à Dæmone possideretur, prodigium quoddam liberaretur ab infestissimo hospite; prodigium tandem quoddam ab illo non perimeretur.

Tandem si quis statuat, Dæmonem reipsâ oblidere energumenum, agnoscere necesse erit in uno eodemque homine duo agendi veluti principia, duos spiritus, qui sive alter post alterum, sive ambo simul ad agendum illum impellerent, nimirum Dæmonem & animam. Porro duo illa principia, indole inter se & voluntate contraria, mutuo committerentur, alterum ab altero dissiparetur, nec corpus in medio hujus certaminis diutius subsisteret. Quam non exerceat tyrannidem Dæmon, si corpus sibi subigeret? Quid non diceret, quid non faceret? Quodnam corpori illi discrimen? An conceptæ hæc de re ideæ aliquid simile respondet in historiis? Quid non assequeremur, pendente Dæmone? quid scientia homines lateret?

Occurrunt interdum pueri statim à Baptismo, & homines morum sanctitate exempti, qui tamen iniquissimo adversario committuntur possidendi. A Deo rem hanc indignam permissam quis credat? Nonne ad alteram confugere interpretationem præstaret, reputantes e.g. vitio id morbi factum esse? Neque enim ultionis exigenda gratia permissum id à Deo credi par est; sunt enim moribus castissimis: nec experimenti de illis capiendi consilio; sunt enim ante usum rationis infantes, qui experimentis illis nihil proficerent. An hæc omnia valuerint ad gloriam Dei promovendam? ut quid igitur non occurrant in omnibus locis & temporibus? cur integras per Orbem Nationes intactas Dæmon relinquit?

Unde verò fit, ut plerumque eo affectas incommodo non offendas, nisi gentes & regiones maximè omnium superstitiosas, sive spiritu & mente inebelliores? Nunquam profectò species viros doctos, integræ sanitate, ab omni superstitionum præjudicio vacuos, in Dæmonis potestatem & possessionem venisse. Si quis examine tentet Dæmoniacos istos, spondeo futurum, ut omnes ad unum deprehendantur tetro quodam melancholice humore teneri, vel saltem affici morbo aliquo cerebri seu partium nobilium corporis, cujus morbi vi spiritus labascit.

Ea quidam persuasionem tenentur, quasi Dæmones citra Religionis dispendium, citra Scripturæ contemptum negari pervicacius non possint. Sed apage territacula puerorum. Maximum potius Religioni præstatur obsequium, si à superstitionum & fæderum prodigiorum feculentia repurgentur. Prodigiorum indiscriminata farrago in Religione vera & asserta labefaciatur, & audaciora facit, procacia quædam ingenia, ut negent indiscriminatum omnia. Est autem Dæmonis in corpora hominum pos-

Dissert. Calmet Tom. II.

sessio prodigium inter maxima: à legibus omnibus naturæ recedit Deus, ut corpus possidendum Dæmoni permittat. Quo semel posito miraculo, alterum consequi necesse est, ut scilicet vis omnis & potestas Dæmonis citra necem miseri illius hominis cohibeatur; nec nisi tertio prodigio semel possidens corpus illud Dæmon expellitur.

Si quis verò statuat, unum idemque corpus à pluribus simul Dæmonibus insideri, uti de Maria, quam septem Dæmones possidisse legitur Luc. 8. 2. de viro Gadareno, quem legio inhabitabat (a), nova, insuper & nova prodigia cumulabuntur. Si datis temporum intervallis, & veluti iteratis aggressionibus, ut in singulis lunationibus [b], vel in recurso morborum, torqueri Dæmoniacus constituitur, iterum ad nova prodigia; ex quo enim nova hæc supernaturalis aperitur via, nunquam per illam proceditur, nisi nova interim & nova infernantur prodigia. Rationes physicae omnes ad aggressiones illas per intervalla explicandas loco cedunt, si Diabolo tribuantur, succeduntque supernaturalia omnia; est enim supra naturam Dæmonis in hominum corpora obsessio.

Neque è re est nostræ Religionis, ut veritas ejusmodi defendatur. Nihil enim inde sive de Numinis potentia demitur, sive Jesu Christi prodigiis derogatur. Semel enim ac reipsâ dari energumeni negentur, non proinde continuò negatur, Deum pro arbitrio tollere, augere, refrænare vim Dæmonis valuisse. Id tantum contenditur, Deum scilicet adversus constitutas sibi leges eâ indulgentiâ facturum; repugnatum pariter commodis Religionis exaggeratis plus nimio prodigiis; ac tandem iræna. Dæmoni plus nimio laxaturum; sicut etiam in veritatem assertorum prodigiorum creaturam invidiam, quoddam scilicet ab energumenis multa patrarî supra vires naturæ, adeoque prodigia autmaremus. Quæ si vera sint, quis demonstret incredulis, prodigia SS. Petri & Pauli non in Dæmonem, sed in Deum referri oportere? Hanc calumniam struxisse Judæos adversus prodigia Jesu Christi, quæ Beelzebub tribuebant, legitur Jo. 8. 48.

Nec incipiamur plenam esse in Jesu Christo potestatem, patrandis tot tantisque prodigiis, quot satis essent ad asserendam divinitatis & missionis suæ veritatem. Quando ergo negamus oblatos illi Dæmoniacos, & Dæmone reipsâ possessos, asserimus illi tamen virtutem Dæmones pellendi; si forte opus fuisset; asserimus factum ab illo prodigium eo morbo depulso, quo languentium illorum seu corpus seu mens vel tandem cor ita afficiebatur, ut in eam persuasionem venirent. Maximo est sanè prodigio, si dicto citius valerudo restituitur lunatico; surdo, muto, quæ omnia incommoda à Dæmone intus agente inducta censebantur. Potentie Divine summum esset decus, si tantum valere demonstraretur, ut posset Mariam ad bonam frugem convertere, & ab ejus corde non septem Dæmones reipsâ obsessentes, sed totidem capitalia crimina, seu totidem malas ha-

I i 2

bi.

a Marc. 5. 9.
Luc. 8. 30.

b Matth. 17.
14.

bitudines, quibus ferebatur in crimen, de- pellere; si gratia suae virtute contractas ab illa longâ assuetudine malas propensiones corrigeret; vel saltem si sanitatem restitueret è morbo, vel septem morborum complexu; ita enim explicari potest septem illud Dæmonum contubernium.

Vetustissimum intus operantis Dæmonis exemplum in Scriptura Saul occurrit. Nullo autem negotio demonstraretur, morbum Principis totum ab agente intus melancholico humore repeti. Morbus erat per intervalla insiliens, & invalescens, cui pharmacum erat præsentissimum, si quis musico aliquo instrumento ludens lætiora Principi inspiraret. Canebat igitur cytharâ David, qua paulatim fixum illum humorem dissipante factum est, ut depelli Dæmon crederetur. Hinc S. Chrysostomus (c), & post illum Interpretes plures (d), totum Regis morbum mania & melancholie tribuunt.

Nec majori molimine cætera omnia Energumenorum exempla, de quibus in N.T. explicantur. Hic enim occurrit ater & melancholicus humor; hic adultus sanguis & incensus; hic viscerum ardor, noxiorum humorum congeries, quibus spiritum precludentibus, epilepsia simillimus morbus inducitur. Vitiata interdum phantasia persuadetur aliquis, ut teneri se à legione Dæmonum credat; quemadmodum errantis phantasia ludibrio interdum factum est, ut transformati se homines in bruta, in Reges, in Deos sibi videantur. Sæpe tandem ex morbo surditas, seu incommoda alia casu vel naturâ inducta satis erant, ut credulus in superstitionem populus Demoniacum esse aliquod persuaderetur.

Hicse ergo, quicumque fuerint, Dæmonibus depellendis, satis habebatur vel à morbo valetudo, vel à phantasia vitio sanitas reddita. Duo hæc sunt Energumenorum genera, quæ Jesus Christus in Evangelio sanavit. Qui post alteram à transfiguratione diem Apostolis oblatas est Demoniacus, lunaticus (e), epilepticus (f), & mutus (g), referente Scripturâ, ab infantia sapius aggressorem Dæmonem experiebatur, quo agente adgebatur in terram, & in ignem, spumabat ore, clamabat, contorquebatur. Jesus minitatus est Dæmoni, & salva statim omnia.

His omnibus exponendis certum illud, quod etiam in Evangelio ponitur, constituendum est; puerum nempe illum epilepsia ab infantia laborasse, pervicaci sanè remediis omnibus morbo, cuius portentosa symptomata facile Dæmoni ab imperitis tribuuntur. E re magis visum est, miserum hunc hominem à morbi huius tyrannide liberare, quàm affectam vulgi phantasia, errantem quidem, sed errore nequaquam pernicioso, sanare. Tantumdem affirmandum mihi sumo de obsessio- nibus, quas ferunt, Dæmonis; nihil enim habendas censo, quàm latentes morbos Dæmoni tributos. Ita mulier curvitate jam inde à 18. annis laborans (h), habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata.

c Hom. 1. de Davide & Saule. d Cajetan. Sanct. Cornel.

e Matth. 17. 15. f Luc. 9. 39. g Matth. 9. 16.

h Luc. 13. 13.

Energumenorum aliud genus referebant homines vitis impliciti, quorum merito sive à Dæmone reipsâ miseri illi torquebantur, sive conscientia ejusdem criminis torquendi illos munereungebatur. Ex eo numero facile credimus mulieres, quas à contubernio mali spiritus liberatas, comites se liberatori suo dedisse legimus (i); nec aliter censemus de illis, de quibus in propositâ parabola locutus est Jesus (k); narrabat enim, immundum spiritum ex homine digredientem deserta loca requiem quaesitum pererrasse; sed spe suâ frustratum in priorem domum rediisse tandem, adhibitis secum septem aliis Spiritibus se nequioribus, qui omnes venientes sedem ibi suam constituerunt, ut ferent novissima hominis illius pejora prioribus.

Malus ille spiritus, à quo septem priores viri Sara, filia Raguelis, extincti sunt (l), Dæmon erat, cui permessa tantum erat nocendi potestas in eos, qui se totos voluptatibus addicerent, nihil ad Deum attendentes. Comperit tandem, homines admissio mortali crimine mancipia fieri Dæmonis (m), cuius tyrannidi subiecti in graviora semper, & graviora adiguntur crimina, nisi Deus ab infelici illa servitute per gratiam suam miseris relevet. En certam & perniciosissimam Diaboli possessionem.

De spiritu fornicationis frequenter legas in Scripturis [n], sicut etiam de spiritu mendacii (o), de spiritu torporis (p), de spiritu zelotypia (q), & sic de cæteris; quibus phrasibus designantur prava quædam habitudines, quibus in vitia illa vel rapimur, vel disponimur. Nec statim hæc omnia Dæmoni auctori tribui necessè est. Docet S. Jacobus 1. 14. queri nos tantum oportere de regnante in nobis concupiscentia, cuius imperio ita ferimur in vitia, ut illis volentes nos submittamus. Non est proinde, cur statim reputemus supernaturale aliquid inesse iis, qui teneri dicuntur à spiritu fornicationis, vel ambitionis. Satis habet cor hominis propensionis in vitia; validum satis est passio- num imperium, ut nihil à nobis ducamus alienum, absque eo quod quidquam agere Diabolus credatur. Sive autem ipse se Diabolus rebus illis immisceat, sive non, illud constituendum est, unum esse Deum, qui genus illud Dæmonum pellere valeat. Ecclesia quidem & Sanctorum preces id efficere possunt, ut Deum misericordem in homines criminosos fleant, qui respiciendi gratiam concedat; sed nihil ad ejusmodi possessiones valent adjurationes. Morbi genus illud unicum exigit pharmacum, poenitentiam, jejunium, elemosynam, preces.

Tertium Energumenorum genus consti- tuunt hypocondriaci & mania laborantes, qui se agi à Dæmone phantasia errore per- suadentur. Totus est eorum morbus affectus phantasia vitium, quæ possideri se à Dæmone reputans, agit, loquitur, clamat, cursitat; agitur, ac si reipsâ ab uno vel pluribus Dæmonibus ageretur. Morbi huius tota causa vel è sanguine; vel è cerebro; vel ex spiritibus, vel saltem ab hisce om-

i Luc. 8. 2.

k Luc. 11. 24. Matth. 12. 43.

l Tob. 6. 14. 17.

m 2. Petr. 2. 19. Rom. 6. 16. Matth. 6. 24.

n Osee 4. 12. & 5. 4. Spi- ritus fornicationis o 2. Reg. 22. 22. p Isai. 29. 10. q Num. 5. 14. 30.

nibus simul repetenda; quod tamen nos examini Medicorum relinquimus. Ab hoc morbi genere valetudinem tentant illi non raro, nec infelici interdum eventu, sive naturalibus & refrigerantibus pharmacis adhibitis, sive opportunè ad rem & perso- nam remediis adhibitis, ut ad mentem red- dantur, & phantasiatibus evanescentibus reddita sibi credant sanitatem. Historio- la quædam non injucunda eâ de re narra- tur; sed maxime serium argumentum qua- le exigit Religio, serid tractandum est; quod maxime credimus poscere nostrum in Libros Sacros obsequium, in quibus plu- res ejusdem generis morbos deprehendit- se nobis videtur, morbos, inquam, affecta phantasia, quæ se agi à Dæmone, falso alio- qui, credat. Hunc morbum, sublato virtute & sapientiâ Christi errore, idem Chris- tus depulit.

r Matth. 8. 28. Marc. 5. 1. &c. Luc. 8. 26. &c.

Legimus in Evangelio (r), Jesum Chris- tum cum transfretasset mare Tiberiadis, & venisset in regionem Genesareth, duo- bus Dæmoniis occurrere, quorum alter diu jam à pluribus Dæmonibus agebatur, nudus incedebat, in sepulchris, in mon- tibus excavatis verfabatur, violentus erat adeo ut nec catenis nec funibus alligaretur. Procurrit statim ad Jesum ingenti soblato clamore, quærens ab illo, ac si Dæmon ex eius ore loqueretur, ne ex eo corpore se pelleret, vel saltem permetteret, ut ex eo digressus, in gregem porcorum huc fore per transiit euntem insiliret. Interroga- vit Jesus hominem, tanquam si verba faceret ad Dæmonem, quo appellaretur no- mine: Legio, respondit, quod magno hic versetur numero. Et Jesus actutum face- re inde præcepit, indulgens, ut in por- cos per vicina arva pererrantes insilirent. Nec mora; sues ad 2000. numero magno procurrentes impetu, præcipientes se dede- runt in mare, & vir ille statim convaluit.

Suberit fortè mirari, cur hoc potissi- mum exemplum selegerimus in affecta phantasia argumentum; sed nullum licet expressius habeatur in Scripturis, cuius sin- gulares adnotentur circumstantia, nullum quod magis favcat in speciem Dæmonum possessioni; id tamen nobis suscipimus, ut constitutis jam principiis rem totam exponamus, nihil Dæmonum possessioni faventes. Vir ille nullo corporis morbo tenebatur, integrâ quin etiam valetudi- ne & robore adeo pollebat, ut frustra vin- culis & catenis alligaretur, ac vestes om- nes discerperet. Nihil de commissi ab il- lo criminibus exprobrat Jesus; & cum post obtentam valetudinem comitem se Jesu Christo offerret, respondentem illum au- divit, redderet sedomum, & recepta à Deo beneficia palam omnibus ediceret; nec unquam legimus monitum illum, quemad- modum cum aliis in paribus rerum even- tibus factum constat, caveret, ne deinceps peccaret.

En igitur quomodo rem illam totam expo- nimus. Calenti nimirum sanguine agi- tabatur vir ille, cuius phantasia œcono- mia turbata legionem Dæmonum intus agentium exhibebat. Obiter etiam ani-

madvertendum est, juxta recepta à Ju- daeis principia, unum & eundem homi- nem plusquam unius anime sedem esse potuisse, multisque teneri spiritibus (s). Hac semel inducta persuasione vir ille, tum calente nimum, atque re- dundante sanguine agitatus, è sociorum confortio secedens, Urbium frequentiam ad agrum digressus fugiebat, ubi tur- bato spiritui, seu, ut rebatur, legio- ni Dæmonum intus agentium se totum permisit.

Quid autem Jesus ad reddendam egro- to sanitatem? cavet nimirum ne conce-pto semel errori contraheret, quin potius credere se affirmanti in speciem visus est. Querit igitur ab illo egrotus, legionem Dæmonum fugaret, factâ egredientibus per- missione, ut gregem porcorum tenerent. Omnia facilis concessit Jesus; sed cum ad errorem depellendum satis hæc non haberentur, argumenta ejus rei exhibenda erant in grege illo porcorum, ut agi re ipsâ à Dæmone videretur. Acti proinde in gam sues, præcipientes sese dederunt in mare. Alitè eo argumento persuasus egro- tus, quem aliunde opinio non levis tene- bat de Jesu, quasi vir esset prodigiorum insignis patror, valetudinem sibi recep- tam persuasit; ita se proinde gessit in- adibus, & in sermone, quasi à Dæmo- ne agitante liberaretur.

Nec difficile credimus, Jesum Christum eodem temporis articulo sanguinis fervo- rem compressisse, reddita simul cerebro, humoribus, cæterisque omnibus œcono- miâ. Prodigium ultro in his omnibus agno- scimus, non quidem in depellendo Dæmo- ne, quo agitur, sed in restituta ad sani- tatem mente, in tranquillo positus humo- ribus, ac tandem in grege porcorum præ- cipiti acto in lacum ad unam Jesu Christi vocem.

Animadvertisse juvat, Dæmones, si reipsâ ex homine pulsi in gregem porcorum permitti venissent, commodum illud sibi contubernium ducentes, ne statim præ- cipitarentur in abyssum, Dæmones, in- quam, adeo sibi à regressu in inferos me- tuentes, rebus suis male utique consuluif- se, si gregem porcorum statim egissent in mare. Ut quid novas concessas sibi sedes non cautiis servassent, id agentes, ut sues illi per agros spatiantur, & lanionum manus sedulo evitent? ut quid ad mon- tes & deserta loca illos non adegerunt, ubi tanquam acta à Dæmone animalia sibi relinquerentur, abstinentibus se omnibus ab illis, quemadmodum rabiosa quæque ani- malia fugiunt omnes, eaque liberè palantur? Sed Jesus voluit argumentum præbere aptis- mum & ad sensum, quod phantasia hypo- condriaci sese altius imprimeas; in eam induceret persuasionem, ut vacuum se ab ea legione crederet; cujus rei nunquam satis firmam persuasionem ille habuisset, quamdiu sues viverent, dubitans nùm legio illa pristinas sedes repeteret. Perpetua erat valetudo restituenda, demersis bru- tis illis in mari. Ad constituta à nobis genera Energume-

s Vide Joseph. de bello 1. 2. p. 788. & 1. 7. c. 25. p. 981. & R. Isaac. Lo- vian. de revo- lut. animar.